

et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu et summa suavitas: ejiciebas, et intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, sed non carni, et sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Jam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi, et acquirendi, et volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum, et garriebam tibi, claritati meae, et divitiis meis, et saluti meae, Domino Deo meo.

CAP. II. DESERIT RHETORICAE PROFESSIONEM.

Et placuit mihi in conspectu tuo, non tumultuose abripere, sed leniter subtrahere ministerium linguae meae nundinis loquacitatis, ne ulterius pueri meditantes, non legem tuam, non pacem tuam, sed insanias mendaces et bella forensia mercarentur ex ore meo arma furori suo. Et opportune jam paucissimi dies supererant ad vindemiales ferias, et statui tolerare illos, ut solenniter abscederem, et redemptus a te, jam non redirem venalis. Consilium ergo nostrum erat coram te, coram hominibus autem nisi nostris non erat. Et convenerat inter nos, ne passim cuiquam effunderetur: quanquam tu nobis a convalle plorationis ascendentibus, et cantantibus canticum graduum, dederas sagittas acutas, et carbones vastatores adversus linguam subdolam, velut consulendo contradicentem, et sicut cibum assolet amando consumentem. Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua, et gestabamus verba tua transfixa visceribus, et exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos, et de mortuis viros feceras, congesta in sinum cogitationis nostrae urebant, et absumentebant gravem torporem, ne in ima vergeremus, et accendebar nos valide, ut omnis ex lingua subdola contradictionis flatus inflammare nos acrius posset, non extinguere. Verumtamen, quia propter nomen tuum, quod sanctificasti per terras, etiam laudatores utique haberet votum, et pro-